Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

37

intra litterę continentur archanum. Sicut mererer ut daretur mihi sensus
xpisti. et ita ego in his dicere. ut sciamus quę a deo donata sunt nobis. quę
et loquimur. Sed ne cetum paruitate sensus nostri sed captis·
uideamur exordium. Hec est inquit lex sacrificii salutaris quod offeretur
domino. Si quidem pro laudatione offerret illud. et afferet ad sacrificium
panes propositionis et similaginem factos in oleo et lagana azima
uncta oleo. et similaginem conspersam in oleo super panes fermenta
tos offerret munera sua. quia sacrificium laudationis sal
uatoris eius est. et offerret ab eo unum de omnibus muneribus suis. se
parationem domino. Sacerdoti qui effundet sanguinem salutaris
et carnes sacrificii laudationis salutaris ipsius erunt. Et in qua die donum
offertur manducabunt et non derelinquent ex eo in mane.
Sacrificium hoc quod salutare appellatur in duas diuidet
partes. et unam quidem laudationis nominat. alteram uoti.
utrumque tamen sacrificium salutare nominatur. Uerum quoniam non est
nobis necesse secundum litteram instaurare sacrificia. Requiramus in
nobis quis nam est tantus ac talis. qui sacrificium salutare. et sacrificium
laudis offerat deo. Ego illum esse arbitror. qui in omnibus actibus
suis facit laudare dominum. et impletur per eum illud quod dominus et sal
uator noster dicit. Ut uideant homines opera uestra bona. et mag
nificent patrem uestrum qui in celis est. Ille ergo obtulit sacrificium
laudis. per cuius actibus. per cuius doctrina. per cuius uerbo et moribus
et disciplina laudatur et benedicitur deus. Sic e contrario sunt illi de
quibus dicitur. quia per uos nomen meum blasphematur inter gentes. Obser
ua tamen hic quomodo panes et simila facta in oleo et lagana azi
ma uncta oleo et simila conspersa in oleo ponit. Et triplicem
rum sacramento hostia salutaris offertur. et ad ultimum. sacer
doti inquit qui effundet sanguinem salutaris. ipsi erit. Superius
dixit sacerdoti qui repropitiauit ipsi erit. digno ordine utitur;
hic sacerdoti. qui effundet sanguinem sacrificii salutaris ipsi erit